



**Università degli Studi di Udine**

Scuola Superiore

Concorso di ammissione – a.a. 2007/08

## PROVA DI LATINO

### **L'imperialismo romano visto da un avversario.**

Namque Romanis cum nationibus populis regibus cunctis una et ea vetus causa bellandi est: cupidus profunda imperi et divitiarum. [...] An ignoras Romanos, postquam ad occidentem pergentibus finem Oceanus fecit, arma huc convertisse? neque quicquam a principio nisi raptum habere, domum coniuges agros imperium? convenas olim sine patria parentibus, peste conditos orbis terrarum; quibus non humana ulla neque divina obstant, quin socios amicos, procul iuxta sitos, inopes potentisque trahant excindant, omniaque non serva et maxime regna hostilia ducant? namque pauci libertatem, pars magna iustos dominos volunt; nos suspecti sumus aemuli et in tempore vindices adfuturi. Tu vero, quoi Seleucea, maxuma urbium, regnumque Persidis includitis divitiis est, quid ab illis nisi dolum in praesens et postea bellum expectas? Romani arma in omnis habent, acerruma in eos, quibus victis spolia maxima sunt; audendo et fallundo et bella ex bellis serundo magni facti: per hunc morem extinguent omnia aut occident: quod haud difficile est si tu Mesopotamia, nos Armenia circumgredimur exercitum sine frumento, sine auxiliis, fortuna aut nostris vitiis adhuc incolumem. Teque illa fama sequetur, auxilio profectum magnis regibus latrones gentium oppressisse. Quod uti facias, moneo hortorque, neu malis pernicie nostra tuam prolatare quam societate victor fieri.

Sallustio, *Historiae* 6  
(*epistula Mithridatis Arsaci regi*)